IOHANNES CHRYSOSTOMUS

Österreich, Ende 12. Jh.

Seite 043

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26104
Copyright: Admont, Benediktinerstift

43

mireris quod deus dicitur in celis habitare. Non enim tamquam conclusus aliquo loco
nec aliquibus limitibus occupatur, sed in celestibus potestatibus requiescens
et in hominibus habitare dicitur. Sicut ait: Inhabitabo in vobis et inambulo
in vobis. Igitur isti apud barbaros multarum sectarum imbuti ratione
valuerunt scire quod ubique deus subvenit invocatus. et cum prophetia novam
conversationem id est ecclesie iam radiare prospiceret, locorum observati-
one sensim et figuratim mutandam esse testatur. Sicut oculi servorum
in manibus dominorum suorum. et sicut oculi ancille in manibus domine sue, ita
oculi n[ostri] ad d[ominum] d[eum] n[ostrum] d[onec] m[isereatur] nobis. Perspice stabilem reverentiam in commo-
tam fidem, non parvo tempore sese rogaturos pollicentur sed perenni de-
precatione servaturos ostendunt. et ideo se servulis compararunt,
quibus omnis spes in dominorum cura consistit. nec aliunde presidium est quip-
pe cum dominorum sollicitudine alimoniam sibi preparari, vestimenta suppedi-
tari, omnemque commoditatis curam non deesse confidant. et hec actio
donec receperint non recedunt, et cum acceperint gratias confitentur et
hoc perpetuo gerunt. David igitur demonstrare festinans quod a deo
solo solatium postulant. et quod perpetuo deprecantur. et quod nulla
spe nisi divina consolantur. et quod sua bona tamquam servorum peculia
ipsi debentur, posuit servi et ancille personam. et qui antea mutaban-
tur ad dominum et nimio elati fastidio non obtemperare curabant, sola
calamitate corriguntur. et captivitate mutantur. et se ab eo num-
quam recessuros pollicentur, donec misericordiam consequantur. Donec
inquit misereatur nobis. Non dixit donec mercedem reddat aut
donec vicem restituat, sed donec misereatur nobis. Et nos igitur conti-
nua protectione [deprecatione] debemus insistere. et si accepimus. et si non acce-
pimus, non recedas, nam cum hoc facis incunctanter accipies.